

ritia vera & certa r̄cte administrandi τὰ ἐκκλησιαστικὰ, pro ratione tempo-
rum, locorum & personarum. Hæc vero partim ex sacris literis hauritur,
partim experientia & exercitatione rerum Ecclesiasticarum acquiritur.
Tertio exigitur *eloquentia spiritualis*, quæ facit ut antistes Ecclesiæ res vi-
les & salutare possit populo persuadere. *In concupiscibili animæ parte*,
quæ Græcis appellatur τὸ ἐπιθυμητικόν, sunt octo requisita. 1. *Amor erga*
Deum & homines. 2. *Amor erga virtutes*, & contra odium peccatorum:
ut nempe Ecclesiastes habeat corpus & vacuum non tantum à vitijs,
præsertim mundanis & externis, sed etiam ab omni suspitione specie-
que criminum, quibus Ecclesia offendi possit. 3. *Zelus spiritualis*, hoc
est, desiderium gloriæ Dei & salutis hominum, quo fit, ut non suum, sed
Dei & Christi Domini sui honorem & lucrum, & auditorum suorum æ-
ternam salutem toto pectore quærat. 4. *Contemptus mundi*, hoc est,
voluptatum, honorum & diuitiarum, quatenus quidem ista tria ponun-
tur in vitio. 5. *Misericordia*, erga ignaros, afflictos, & personas miserabi-
les. 6. *Mansuetudo*, adeoque tolerantia infirmorum, insciolorum, aber-
rantium & lapsorum. 7. *Fidelitas in munere*, piaque sollicitudo: ut nem-
pe faciat officium diligenter & libenter. 8. *Gaudium è felici*, & *dolor ex*
infelici successu. *In irascibili facultate*, quæ Græcis dicitur τὸ θυμικόν, quin-
que ista requiruntur. 1. *Spes & fiducia*, labores non fore inanes in Do-
mino. 2. *Timor Dei.* 3. *Fortitudo spiritualis*, ideoque magnanimitas, &
constantia; Fortitudo quæ virtutes faciunt, ut Ecclesiastes animo excelso,
erecto, inconcusso & imperterrito aduersus Satanæ, mundi & carnis, tū
blandimenta, tum terculamenta pugnet, & simul omnia aduersa, quæ i-
psi propter Euangelium accidunt, patienter ferat. 4. *Παρρησία, Libertas lo-*
quendi. 5. *Authoritas spiritualis*; quæ exigit, ut Ecclesiastes honestam fa-
mam & existimationem, tum apud suos, tum apud externos habeat, ob
rectam officij sui functionem, vitæque integritatem & innocentiam.
Horum porro donorum conseruatrices sunt *pura conscientia*, & *animi hu-*
mitas, quæ, teste Augustino, est prima, secunda & tertia virtus in Chri-
stianismo. Atque hæc est *idea boni pastoris Ecclesiæ*, hoc speculum anti-
stitis rerum diuinarum, hic Lydius lapis, ad quem virtus tum viri, tum of-
ficij, exigi debet in pastore constituendo, vel constituto.

Quid tradas
Theologia
Prophetica

II. Theologia Prophetica debet tradere omne id, quod
ad Ecclesiastici muneris functionem pertinet.

Sunt, qui objectum Theologiæ Propheticæ constituunt *sacras con-*
ciones. Verum hoc objectum est angustius: quia Ecclesiastes non solum
concionari debet, sed etiam *politiciæ Ecclesiasticæ accuratam habere ra-*
tionem. Proprium itaque & adæquatam hujus facultatis objectum est
modus